


Kem  
1090



Kem 1090







D E  
PROMOVENDIS  
ANATOMIAE  
PATHOLOGICAE  
ADMINISTRATIONIBVS,

---

CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE,  
P R A E S I D E  
D. PHILIPP. FRIED.  
MECKEL,

MED. PROF. PVBL. ORD., PHYSIC.

CIRCVL. SALIC. ET COMIT. MANSFELD.,

DIRECT. INSTIT. CLINIC. CHIRVRG.,

P R O

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

DIE V. OCTOBR. MDCCXC.

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

DAN. GOTTL. SILBERMANN,

G E D A N E N S I S .

---

HALAE,  
T Y P I S H E N D E L I A N I S .



АКАДЕМИЧЕСКОЕ  
СООБЩЕСТВО  
АДМИНИСТРАЦИИ  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГА  
Д. ФИЛИПП РУД  
СМЕРКЕР  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГ  
ДОКТОРИ МЕДИЦИНСКИЕ  
СИГ. А. СЕТОВ - МОСКОВСКИЙ  
СЕВЕРНО-ЗАПАДНЫЙ  
АКАДЕМИЧЕСКИЙ  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

INCLYTAE  
REIPUBLICAE GEDANENSIS  
MAGNIFICO SENATVI  
PER-ILLVSTRI,  
**S. R. M. BVRGGRAVIO**  
PER-MAGNIFICIS, MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS  
MAXIMEQUE STRENVIS  
PRAESESIDI  
PRO - PRAESIDI  
PRAE - CONSVLIBVS  
CONSVLIBVS  
PATRIAEE PATRIBVS OPTIMIS,

V T E T  
P R A E N O B I L I S S I M I S  
A M P L I S S I M I S , C O N S V L T I S S I M I S  
D I C A S T E R I O R V M  
V T R I V S Q V E C I V I T A T I S M E M B R I S ,  
S E N I O R I B V S  
C O N - S E N I O R I B V S  
A S S E S S O R I B V S R E L I Q V I S :  
I V S T I T I A E A R B I T R I S L O N G E G R A V I S S I M I S ,  
M E R I T I S S I M I S Q V E ,  
D I S S E R T A T I O N E M H A N C I N S V I  
S T V D I O R V M Q V E S V O R V M C O M M E N D A T I O N E M ,  
S V B M I S S E D A T , D I C A T , C O N S E C R A T  
T A N T O R V M N O M I N V M  
C V L T O R D E V I N C T I S S I M V S  
A V C T O R .

## I.

**E**x summis emolumentis nostri aeui id quoque esse non minoris momenti videtur, quod, deferta philosophia, quae dicebatur prima, et nimirum solis ratiociniis, magis magisque ad experientiam refugiamus, eamque nobis eligamus solam ducem, lucem et columen nostrorum ratiociniorum. Quemadmodum hoc praesertim in philosophiae speculativae parte patet, ita quoque in omnibus singulisque humanae scientiae partibus clare elucet: maxime vero ars medica ad perfectionis gradum haud mediocrem est eucta, ex quo medici artifices, spretis subtilibus theoriis, observationis et experientiae studium magis excoluerint.

## 2.

Cum anatomia sola praebeat firmissimum fundamentum totius artis nostrae, demonstratione fere non eget, medicam artem eo magis perfici, eiusdemque eo meliorem esse statum, quo magis sectio cadaverum et inuestigatio partium corporis exercentur. . . Ea quoque videtur esse nostrorum temporum ratio, ut altus ille atque cum superstitionem tum ingenii ruditatem sapiens contentus et odium internecinum eorum, qui sectionibus hominum defunctorum insudant, adhuc non amplius vigeant. Sicut, PLINTO<sup>1)</sup> teste, Aegyptiorum regum

1) Hist. natur. Lib. XIX. c. 5. p. 902. (edit. Da-lechamp. 1608. 8.)

A





gum vetus mos et officium erat, corpora defunctorum perscrutandi et caussas valetudinum inuestigandi, ita nostrorum medicorum princeps munus iam esse coepit eadem sedula sectio cadauerum.

Quanquam superfluum itaque atque plane futile opus fuscipere et nimium forsan mihi sumere videar, si hoc loco vtilitatem et dignitatem anatomiae practicae enumerare vellem, pauca tamen monere liceat, quae maxime confirmare mihi videntur praestantiam et summi momenti vsum, qui ex sectionibus cadaverum aegrotorum redundat.

Morbus ne villus quidem fugari potest, nisi cognita caufsa. Caufsa vero morbi latet saepenumero ad mortem vsque: hinc sectio cädauerum maximum addit auxilium ad rite eruendas caussas morbificas. Medicus, qui medelae eorumdem morborum praeftuit, saepius accusatur vel ignorantiae, vel neglectae indagationis cauffarum, quas tamen adeo penitus latuisse, vt a nemine, ne summo quidem pratico, extricari potuerint, docet tandem sectio post mortem. Exempli gratia liceat meminisse duorum casuum letalium, quas signauit immortalis Herm. BOERHAAVIVS<sup>2)</sup>. Alterā narrantur symptomata periculosa, quibus laborauerat Io. Fried.

- 2) Atroci nec descripti morbi historia, secundum medicæ artis regulas descripta. Hag. com. 1738. 4.  
— Atroci rarissimique morbi historia altera. Hag. Com. 1738. 4.

Fried. L. B. de WASSENAER, doloribus et anxietate subito orientibus, maxima saeuitia eum excruciantibus, syncope et lipothymiis, sudoribus frigidis stipatis, et quae, tandem secto post mortem cadauerre, originem duxerant ex rupto oesophago, quo facto potulenta in ipsum pulmonem penetrantia dira ista symptomata produxerant, quae omnem effugerent explicationem, dum viueret aeger. Altera historia est marchionis Guid. de ST. AVBAN, qui diu affectus haemorrhoidarii symptomatibus, tandem asthmate correptus, deinde haematemosi enormi decesserat. Dolores et anxietates pectoris insignes accederent per binos et quod excurrit menses, quae quidem remedia omnia medicorum penitus effugerant. Moles maxima adipis (pondere sex librarum cum dodrante) a summo thoracis fastigio ad septum transuersum usque partem sinistram thoracis fere sola deplebat et pulmonem eliserat, etiam dextrum compresserat.

## 5.

Hiusmodi exempla innumera plane allegare possem, nisi per se constaret, quantopere necessitas urget, secandi post mortem cadauera aegrotorum, ut inde causa per totum morbum antegressum plane ignota, erui possit. Verba tantum hic transcribere placet Ios. LIEVTAUDII 3), qui praesertim in anatomia practica promouenda omnes industriae nervos intenderat: „Haud dubitare licet, quin ab accurato viscerum scrutinio interna innotescant vitia, „ut plurimum atra intra vitam caligine obruta, com-

A 2

„peria-

a) Historia anatomico-medica. Vol. I. prooem. p. XXII.  
ed. Schlegel. 8. 1786.



„pefiatur nempe horum genuina sedes, extracentur  
 „nonnullae caussae alias imperuiæ, tutiorque pateat,  
 „bene perspecta morbi indole, curandi ritus, aut  
 „saltim accuratior instituatur prognosis, vbi non li-  
 „cet rescindere mandata fatorum, sub quo infelici  
 „rerum statu pro ultima meta laborum haberi potest  
 „haec futurorum scientia. In hoc cardine versatur  
 „tota grauis et altissima scientiae medicæ moles,  
 „cui parcit temporum iniuria, dum medicina spuria,  
 „inani doctrina vel hypothesibus innixa, per se fun-  
 „ditus ruit aut leuiter impulsa delabitur. Etenim  
 „apud omnes eximioris notae medicos in confessio-  
 „manet, sola exenteratione cadauerum morbo pe-  
 „remtorum promoueri posse artem medicam, cum  
 „haud alia clavi referari queant abditiora naturae  
 „morbosae penetralia, in quibus genuinam morbi  
 „et mortis caussam, ni deleterii instar oculorum  
 „aciem fugiat, perquirere licet. Erecto deflectun-  
 „tur tramite, qui morborum phaenomena alibi,  
 „quam in hoc genuino fonte, nimirum in cadaueri-  
 „bus peculiari arte euisceratis, quaerere solent.,  
 Haec LIEVTA VDIVS.

## 6.

Ideoque per se cuicunque elucet necessitas se-  
 condorum post mortem cadauerum, vt inde caussa  
 morbi eruatur. Neque tamen minus emolumentum  
 ipse medicus inde capit, cum saepius euentus cona-  
 tuum fatorum ad restituendam sanitatem vanus sit at-  
 que infelix. Plebs Laicorum præiudiciis obruto-  
 rum plerumque solet imputare medico quemcunque  
 minus felicem euentum, letumque ipsum vel insci-  
 tiae vel neglectae medelae adscribere. Multum ita-  
 que interest monstrare ipsa autopstia vanitatem eius-  
 modi

modi opinionum et iudiciorum, quae quidem vulgus eblaterare solet. Medicus tali modo iustificatur et vindicatur eius innocentia, monstrata et in lucem posita ratione morbi organicī vel vitii aliis insuperabilis. Vitia, quae aeger in victus ratione aut in sex rebus non naturalibus perpetraverat, in apricum collocantur, medicus autem absoluitur.

Saepius tamen quoque ii errores deteguntur medicorum secto cadauere, quos alioquin terra texisset: et, quamlibet medicus rationalis tales obseruationes in fectis cadaueribus haudquaquam quidem metuit, saepius tamen medici vulgares inueniuntur, qui ob eamdem rationem sectionem cadauerum canepius et angue fugiunt.

Et, vt ad rem per se iam claram adhuc magis manifestandam vnum tandem conseram argumentum, iustitia publica quantopere promoueatur et vindicetur anatomicis cadauerum administrationibus, exstant innumera exempla. Vnum tantum citare placet, quod Paull. 's GRAEVWEN 4) ex sua experientia narrat. Rustici quadriennem filiolam fecavit, quam praestigiis et fascinationibus tentatam suisse ac perditam, crebrae conuulsiones, audit a in ipso corpore, etiam post obitum, murmura, mirus denique abdominis tumor ita perfusaverant omni viciniae, vt nec ab aliis nec ab ipso sacerdote euelli error aut minui posset. Ipso exsequiarum die, in maxima rusticorum, qui vndique confluxerant, ac discipulorum,

4) Oratio inauguralis de anatomiae pathologicae utilitate et dignitate. 4. Groning. 1771. p. 53 sq.



quos secum duxerat egregius incisor, cadauer ad-  
greditur: dumque intento ore et pallida facie turba  
hominum nonnisi bafones, serpentes et nescio quae  
exspectant monstra, praeter immanem tympaniam,  
scirrhofas glandulas et tres in tubo intestinali lum-  
bricos, in atrophia confecto corpore nil reperit. Hinc  
exposita breuiter morbi mortisque caussa, a praeiudi-  
cata non tantum et ridicula omnes auocauit opinio-  
ne, sed illos etiam a suorum ciuium suspicione libe-  
ravit, in quos peruulgatus rumor criminis culpm  
coniecerat. De his praesertim emolumentis anato-  
miae practicae legere neminem poenitebit Io. w y e-  
ri egregium tractatum de *praestigiis daemonum* 5).

Cum cognitio caussarum difficillima fere sit  
pars medicinae theoreticae, nulla pars quoque eius-  
dem scientiae adeo ad hunc usque diem fuerit defer-  
ta quam vera et rationalis aetiologya symptomatum 6), haec certo ex promouendis anatomiae pra-  
cticae seu pathologicae administrationibus lucem non  
mediocre exspectare posset, dummodo ex ipsis ca-  
dauerum sectionibus plura elicere saepius constaret.  
Sic non sufficere mihi videtur obseruatio medici se-  
cantis cadauer ex longa chronicorum affectuum fe-  
rie enectum, quod aneurysma arteriarum maiorum  
cordi vicinarum fuerit caussa morbi, nisi alias quo-  
que caussas simul eruere potuerit, quae iterum ipsum  
generare valerent. Cognitio autem vitiorum orga-  
nico-

5) ed. Oporin. 8. Basil. 1564.

6) Iam suo tempore tali modo querebatur Georg. Ern.  
STAHLIUS: Theor. med. v.r.a. p. 558. (4. Hal.  
1708)

= = =

nicorum ea prorsus caligine videtur esse obruta, vt, nisi ex iteratis sectionibus cadauerum, parum aut nihil in ea profecisse nostrorum hominum genus possit sibi persuadere. Osseae excrescentiae in cranio, effusiones vel sanguinis vel seri in ventriculos cerebri, fungi cerebri et abscessus quot dira symptomata saepius producunt! Et quam parum saepius nocent sanitati! — Pericardii nexus cum corde, quot modis mutari potest! Quot, quantaque inde saepius manant mala, quae quidem ordine systematico et constanti nondum sunt descripta! Alioquin vero sine vlo valetudinis secundae laesione haec vitia ad mortem usque perdurant. — *Georgius II.* magnae Britanniae rex, vomica laborauerat, iam diu autem eodem morbo liberatus perpetuoque sanus, haemorrhagia enormi corruptus moritur. Aorta in arcus maioris margine interiori callosa, in superiori adeo expansa et tenuis post mortem obseruabatur, vt fere pellucida esset et erupta videretur haemorrhagiam excitasse in rege, qui perfecta per sex annos sanitate fructus erat 7).

Quid quod polypi cordis, plerumque sensum ponderis et oppressionis in corde, habitualem palpitationem, anxietatem incredibilem, syncopen, lipothyam, asphyxiem, vel pulsus intermissionem, asthmata, hydropem, apoplexiam inferre soliti, saepius tamen adeo firme adhaerere ventriculis cordis obseruantur, et organicam structuram iamdiu adepti, vt nonnisi per longum temporis interuallum persistisse necessario contendatur, cum tamen vel pauca eaque leuiora vel plane nulla symptomata in viuо corpore produixerint. Solam quoque melancholiā diuturnam obseruatam esse, absque dirorum istorum symptomatum ceterua, in homine, cuius ca-

A 4

dauer

7) ZIMMERMANN VON DER Erfahrung. Lib. III. c. 4.  
p. 169. (ed. 1787.)



dauer post mortem sectum maximum monstrauerat polypum cordis, per vasā etiam maiora cordi vicina extensum, mihi narratur. Quamuis in his praesertim, vt et in aliis organicis vitiis melius declarandis insigniter laborauerit Anton. DE HAEN 8), tantum tamen abest, vt et ipsis sectionibus et disquisitionibus circa hoc malum aliquid lucis clarioris nobis affulgeat, vt potius relinquendum sit ulteriori indagationi incisorum, acumine ingenii, sinceritate et sedulitate ipsi non inferiorum.

Plura tamen adfunt non parui momenti obsta-cula pathologicae inquisitioni ex sectionibus cadaue-rum rite instituendis.

Primum quidem id esse videtur, quod, dum ex vitiis in cadasuere repertis ad morbi praegressi naturam concludere cupimus, saepe saepius nostris ratiociniis fallimur. In ipsa enim morte nonnunquam mutationes fiunt, quae quidem morbo antegresso perperam tribuimus, cum ipsis sint mortis violentiae adscribendae. — Figulus quidam, qui diu iam colicæ Pictonum diros accessus passus erat, moritur in ipso tetano, qui per xx, et quod excurrit, dies durae-rat. Sectio cadasueris praeter coli amplitudinem mox enormem, mox angustiam incredibilem, mon-strauit *intussusceptionem*, cuius quidem vestigia, dum viueret aeger, ne diuinari quidem poterant 9).

Has

- 8) Heilmethode, überl. von PLATNER. B. I. Th. II. K. 7. p. 163 — 168. aliquis locis non paucis.
- 9) HAEN'S Heilmethode von PLATNER. B. IV. Th. X. K. III. §. 1. S. 440.

Has quidem intususceptiones haud raro, tanquam effectus conuulsionum dirarum, quibus ipsa mors stipata est, plures obsernarunt auctores. — De *hepate* monet Theod. KERKING<sup>10</sup>), caueant medici, ne, dum corruptum inueniant, illico putent diuturna hepatis tare aegrum laborauisse, eo quod viscis hoc subitae sit obnoxium colliquationi. Equi, qui concitato nimis cursu exticti erant, eodem, quo conciderant, die, hepar insigni putredine corruptum ostendunt.

EX MORGAGNII<sup>11</sup>) et HAENII<sup>12</sup>) inquisitionibus patet, polypos saepe, ni plerumque, esse effectus mortis, quae coagulationem partis fibrofae sanguinis producat, nec veram caussam morbi prae-gressi. Ex hac enim opinione, quod polypi pro-duixerint eos morbos, quibus aeger decesserit, non solum grauiores hallucinationes in eruenda caussa morborum ortae sunt, verum etiam in foro iuridico faepius momenti non minimi errores sunt commissi, cum occisus is, cuius cadauer polypos monstraue-rat, vulnere non absolute, sed per accidens letali-reuptus esse crederetur.

## IO.

Extrauersati humores, maxime sanguis, qui in cadaueribus morte apoplectica extinctis nonnunquam animaduertuntur, tanquam caussa apoplexiae accu-

A 5 faban-

<sup>10</sup>) Spicileg. anat. obs. 77. (4. Leid. 1717.)

<sup>11</sup>) De sed. et causs. morb. Ep. XXIV. Art. 27. p. 238.  
239. (ed. Lugd. Batav. 1767. 4.)

<sup>12</sup>) Heilmethode, von PLATNER. B. I. Th. II. K. VII.  
S. 163 — 167. B. IV. Th. IX. K. IX. S. 229.

sabantur, donec WEIKARDVS <sup>13)</sup> argumentis non spernendis euincere conaretur, veram caussam apoplexiae in neruorum sitam esse ataxia aut atonia, et per accidens omnino posse contrahi eo modo ecchymosin humorum, tanquam effectum apoplexiae, aut symptoma mortem antecedens. Haec quidem obseruatio LENTINII <sup>14)</sup> et SCHAEFFERI <sup>15)</sup> eximiis argumentis confirmata legitur. Quid enim regeri potest, dum videmus, plures aegrotos, qui vera apoplexia sanguinea decesserint, nil post mortem ostendere extrauasati; e contraria autem parte multa in cerebro et encephalo extrauasata in variis cadaueribus animaduertuntur, quae quidem apoplecticam mortem haudquaquam passa erant. — Andreas PASTA <sup>16)</sup> hoc et plura iam apud MORGAGNVM et in proprio tractatu *de motu sanguinis post mortem* monuerat.

## II.

Nonnunquam in cadaueribus eorum, qui insigni aliquo morbo expirauerant, nil memorabile reperitur, quod mortem intentasse dici possit, quum alioquin medicus aut abscessum aut ecchymosin aut aliud memorabile vitium organicum repertum iri pronunciasset. Spem augurantium ipsa inspectio fefellerit, et eorum fiduciam in stuporem vertit,

<sup>13)</sup> Verm. medicin. Schrift. St. II. S. 14 etc.

<sup>14)</sup> Memorab. circa aerem, vitae genus, sanitat. et motb. Clausthal. p. 132.

<sup>15)</sup> Versuche aus der theor. AW. Th. II. §. 16. p. 152. sq.

<sup>16)</sup> MORGAGNI de sed. et causs. morb. Ep. IV. Att. 22.

tit, ac si eum ipsa anima mortis occasio euolasset. Quandoque omnino vitium organicum adsuisse contendimus, ab ipso mortis momento autem omnia in integrum restituta videntur. — Mulier, prima vice grauida, tertio mense corripitur a violentia externa et iracundia, summis cruciatibus abdominis, qui ne aliis quidem remedii solitis fugari poterant. Accedit ischuria, obstipatio pertinacissima, somni defectus assiduus, animi deliquia alternantia cum deliriis: exploratio ope digitii nil plane praeter naturam in orificio vteri deprehendere poterat. Aegra moritur inter summos cruciatus. Sectum cadauer praeter constrictiōnēm non satis arctam intestinōrum fere nil monstrauit, quod mutatum vteri situm indigitare posset, quanquam retrouersio vteri maxime diuinatur.

Homo, qui quotidie ad binas vncias puris tuffi ejecerat, decessit ex gangraena abscessibus femorum superueniente, et vasa omnia corrodente: praeter vitia hepatis et lienis, pulmones sanos, post mortem sectus, monstrauit, vt puris electionem explicare nequeas 17).

Alius, qui hydrothorace et tympania enectus videtur, post mortem sectus, neutrum vitium ostendit. Absque haemorrhagia praegressa, vasa sanguifera inania obserabantur. Quaeritur, an aqua stagnans in thorace medicamentis educta, eam deinde debilitatem secum duxerit, quae mortis causa sufficiens putari possit 18)? — Alius, qui symptomata calculorum manifesta et hydrothoracis passus erat, praeter enormita-

17) HAEN'S Heilmethode, B. IV. Th. IX. K. I. §. 9.  
p. 202. 203.

18) Ib. B. III. Th. VI. K. III. §. 1. p. 53 — 61.



mitatem hepatis et cordis, aquam rubicundam habuit  
in pulmonibus et ventriculo; praeterea autem ne  
vlla quidem vestigia calculorum obseruabantur.

## 12.

Innumera his addere possem exempla, nisi haec  
sufficere viderentur, vt difficultas iudiciorum ex se-  
ctis cadaueribus formandorum inde pateat. Vnam  
tantum vel alteram his adiicere licet obserua-  
tionem.

Multa enim in sectione cadaueris saepius de-  
prehenduntur vitia, quae quidem nulla sui signa edi-  
derant, dum viueret aeger. **H A E N I V S** 19) nar-  
rat historiam aegri qui octauo die peripneumoniae  
manifestae deceperat. — Sectum cadauer ne ullam  
quidem pulmonum inflammationem, aliqualem vero  
ventriculi et omenti, et plenariam peritonaci inflam-  
mationem ostendit. — Saepe quoque complicatus  
est morbus cum aliis, ideoque inuenimus vestigia  
vnus, quae perperam transferuntur ad alium mor-  
bum. Hanc obseruationem quidem ad eam, quam  
**H A E N I V S** retulit, sectionis historiam applicare om-  
nino possumus, cum intestinorum inflammatio nulla  
saepius signa manifestet, quibus dignosci possit.  
Organica vitia saepenumero eam molestiam gene-  
rare, quam exspectaueris ab alio morbo, obserua-  
tio iam **W E P F E R I** 20) et **G L I S S O N I** 21) est,  
confirmatur autem praesertim historia aegritudinis,  
quam

19) Ib. B. VI. Th. XIV. K. I. S. 193 — 201.

20) De apoplex. p. 286.

21) De rachit. p. 711.

quam Cardinalis *de Noyon* patiebatur, descripta a PORTALIO 22). Laborauerat aeger nephriticis doloribus, iisque decesserat, post mortem nil nisi penitus destructi pulmones obseruabantur.

## 13.

Praeterea varietates saepius ab incisoribus pro vitiis organicis sumtae tanquam causa morbi praegressi considerantur. Sic descripsit Fried. BOERNER 23) ventriculi situm, recessu coeco sinistro ad diaphragma conuersum, recta descendenter per finistrum latus, inferius in pylorum coarctatum et terminatum. Inde letalem hunc morbum, hocque vitium organicum insuperabile pronunciauit. Eamdem autem varietatem vidit ter in sanis subiectis, quorum unum morbo pectoris extinctum erat, Paulus's GRAEVWEN 24). — Varietatum autem inquisitio officium princeps esse videtur anatomicorum, quibus incumbit, non ita partes humani corporis describere, quasi una et constans earum forma esset, sed aberrationes et varietates in diuersis cadaueribus colligere et ex numero consentientium exemplorum concludere, quae fabrica pro consueta haberi possit. Eamdem methodum, anatomiam exhibendi partium corporis, primus indigitauit Barthol. EVSTACHIVS, perfecit MORGAGNIUS. Variedades multas, praesertim circa structuram intestinorum signauit Gualt. VAN DOEVEREN 25).

## 14.

22) Mém. de l'Acad. roy. des Scienc. A. 1780.  
P. 47. sq.

23) Disquis. anat. pract. de tabe sicca, 4. Lips. 1752.

24) I. c. p. 26.

25) Specim. obseru. academ. ad monstrorum histriam etc. spectatitum. 4. Groning. 1765.

His expositis difficultatibus, transeam iam ad ea momenta, quae necessario requiri mihi quidem videntur in incisore, ex cadauerum sectionibus morbi caussam et indolem eruere cupiente.

Obseruatio rite instituta anatomiae practicae nititur maxime recta *primum* sentiendi facultate, et experientia bona. Experientia niti sola tantum is potest, qui obseruationis studium optime excoluit, qui ratione coniungit accuratam experientiam, sensibus acutis firmatam, qui, praeiudiciis et animi affectibus expers, naturam nonnisi in natura videt. Defectus experientiae rite institutae plerumque caussa esse videtur perpetuarum rixarum inter incisores magni centerum nominis, sed vel sensuum acumine diuersos, vel variis perspicillis vtentes, vel opticis erroribus deceptos. Memini einsmodi optici erroris, cuius accusantur merito Alex. MONROVS 26) et A. G. I. C. BATSCHIUS 27). Ille serpentinos gyros et anfractus spirales vidit continuos in interna neuorum structura, hic vero in corporibus fere omnibus organicis.

Secundo vero requiritur imaginationis accessus mediocris, perspicuitas intellectus eo maior. Cum

26) Bemerk. über die Structur und Verricht. des Nervensystems. von SÜMMERING. K. XIII. XXII. p. 27. § 9. 1q.

27) RÖMER und USTERI Magazin für die Botanik. St. III. S. 3 — 18.

Cum enim imaginatio antecedit, saepe cupidus vivendi aliiquid est ratio ut obseruemus eam structuram partium, quam alioquin videre haud contigerit. Hypothesium imaginatione potius quam intellectu exstructarum amici nil saepe vident, nisi argumenta hypothesium: sic labilis fit experientia. — Quodsi acumen ingenii antecedit, saepius cernimus subtileas differentias, quae vero re ipsa haudquaquam ad sunt, ut videamus v. g. vermiculos spermaticos in insectis, ut vermiculorum spermatorum vniuersam oeconomiam explicemus. Hae subtileas differentiae, quam sunt negligendae, cum non nisi imaginatione stabiliantur, egregie monstrauit Ant. SCARPA 28), exempli loco adducens distinctionem singulorum ligamentorum lacertosorum, quae saepe nil nisi unum sunt ligamentum, cuius segregatae et dehiscentes fibrillae ossi iungantur. Sic iam suo tempore, et iure quidem, monuit STAHLIVS 29), nimis subtileas has differentias, ni nocuas, saltim superfluas esse: hinc certos quosdam limites finiri debere. — Prudentia autem non vulgaris impedit efficaciam imaginationis in obseruationes nostras practicas.

## 16.

*Tertio* attentionem postulo non mediocrem, sed eam quae consuetudine diuturna acquiritur: quo enim diutius contemplatur obiectum, eo plures notae characteristicas in eodem detegimus. Qui vivide sentit, celeriter et multa obseruat, sed non bene dijudicat: qui tarde autem sentit, non multa videt, non celeriter animaduerit, sed melius dijudicat obser-

28) De promouend. anat. administr. p. 24.

29) Theor. medic. ver. p. 67 — 69.



seruata, quoniam intellectu magis pollet quam imaginatione. Ios. Guiscard. DU VERNEY, IO. MERY, Claud. Nicol. LE CAT hoc vitio laborarunt, quod, attentione necessaria destituti, ab inuentis ad inuenta transfilirent. Hinc quoque repetenda est obseruatio anatomico-practica; repetita enim obseruatio tantum, et nonnunquam plus adhuc, valet, quam recentis instituta.

*Quarto.* Cognoscere debet incisor cadauerum, quid ab aliis sit obseruatum, ne, iis similis, qui in terram incognitam tendunt, nec ullam itineris descriptionem, in illam regionem Instituti, legerunt. Haec est eruditio perquam necessaria incisori, vt, quidquid scriptores signauerint de inuentis anatomiae practicae, sapiat. Adeo constantia a variabilibus, essentialia ab accidentalibus discernere discit incisor, nec in superficie scientiae suae subsistit. Immensa requiritur scriptorum lectio: praefерendи autem ii, qui ipsi viderint, iis, qui collegerint obseruata aliorum, de quibus deinde sermo erit. Quod priores attinet, diuersi sunt pro diuersitate peritia et fidei: multi viderunt, sed non obseruarunt; multi obseruarunt, sed hypothesis glaucomatibus occocati. Fusissimis plures et naufragis scholiis obseruationes suas contaminarunt. Horum itaque scripta et obseruationes rite distinguantur a bonis, fidis, simplicibus viris.

*Quinto* requiritur scientia variarum artis nostrae partium, praesertim physiologiae et pathologiae.

giae. Imperitia enim harum scientiarum magnopere impedit obseruationis studium. Quanto plus Botanices gnarus in planta videt, quam quidem expers huius scientiae semper quasi per transennas aspicit, tanto plus videt in cadauere incisor physiologia et pathologia instructus prae alio, qui destituitur plane his scientiis. Cauendum autem, ne ratiociniis multis atque subtilibus immoremur, sed, nisi id, quod clare patet ex obseruationibus, nil inde concludamus. Praeconcepta opinio, ex theoriis scientiae vtriusque desumpta, hic magnopere nocet, quamlibet fit firmis munita argumentis. Tempus adhuc sufficit, finita obseruatione idque cum summa attentione, ut theorias inde deducamus.

## 19.

*Sexto.* Sinceritas et candor, quemadmodum quemque hominem decent, ita necessario requiruntur in obseruationibus instituendis et conscribendis. Quodsi pudet incisorem, ea profiteri, quae opinioni suae contradicant, non rite obseruabit: neque fidendum est homini, qui mauult cum opinionibus suis errare, quam sine illis veritatem sectari. — Hinc quoque in describendis obseruationibus summa simplicitas, sinceritasque adhibenda, quae magis placent, et veritatis magis conspicua sunt symbola, quam demonstrationes subtile et eruditae deductiones. Ne naturae decora largiamur, sed qualis est, talem pingamus.

## 20.

Supprimere nequeo aliam obseruationem, quae respicit praesertim ad dignitatem *rariorum*  
B animad-



animaduersionum, et contemptum earum, quae communes atque vulgares putantur. Ego vero pluribus egregiis viris, inter quos HALLERVM tantum et MORGAGNIVM nominare placet, assentior, qui perpetuo affirmarunt, in obseruationibus vulgarium morborum verius forte quam in iis esse pretiunr, quae raro occurrant. Non enim quidquid curiositatem excitat, vsui inferuit: qualem enim insignem usum ex iis obseruationibus carpere speraueris, quae rarissime in medicina exercenda obueniunt? Similes mihi quidem videntur collectores rariorū casuum ex scriptoribus anatomiae practicae, Geographis non nullis, qui, terminos patriae suae rite definire non possunt, egregie tamen Indiae orientalis vel Kamtschatkae vel Sinae minima oppida enumerare valent,

## 21.

In colligendis obseruationibus anatomiae practicae, in instituendis ipsis obseruationibus, et in constituendo compendio huius scientiae laborarunt a medio inde faeculo XVII. innumeri auctores, quorum quamvis non paucos LUDWIGIVS 30) nominauerit, aliquos tamen habeo addendos, paucaque monita adiicienda.

Primus quidem, qui, cum caput demum extulisset anatomia, pathologicam partem hujus scientiae adumbravit, ipseque compendium ejusdem scientiae conscribere fategit, fuit Guil. HARVAEVS, immortalis ac proorsus unicus sui aeuī incisor, qui de proposito suo loquitur in *exercitatione de motu cordis et sanguinis* 31). — Paullus BAR-

BETTE,

30) Prīm. līn. anatom. pathol. p. 2. 3. 4.

31) P. II. p. 174. (ed. Lond. 1671.)

BETTE, medicus Amstelodamensis *anatomem practicam* 32) quoque scripsit; sed, hypothesis suis temporis occaecatus, nimium quantum naturam simpli-  
cem contaminauerit. — Eundem errorem commisit  
WILLISIUS, qui in variis libris, praesertim in *ana-  
tome cerebri* 33), *pathologia cerebri* 34), et in *phar-  
maceutice rationali* 35) insigniter promouisset anato-  
miam pathologicam, ni spiritali sua theoria fuisset  
deceptus.

Mire vero auxit hanc partem anatomiae uti-  
lissimis suis animaduersionibus Io. Iac. WEPFERVS,  
tum in *observationibus anatomicis ex cadaveribus eo-  
rum, quos sustulit apoplexia* 36), tum in *observationi-  
bus medico-practicis de affectibus capitinis* 37), cui  
suppare fere sunt Nic. TULPIVS 38), Io. SCHEN-  
CKIVS 39), Io. Nic. PECHLINVS 40), Gerard.  
BLASIVS 41), Gregor. HORSTIVS 42), Io. Iac.  
HARDERVS 43).

- 32) 8. Amst. 1697.
- 33) 12. Amst. 1683.
- 34) 4. Oxon. 1667.
- 35) 12. Haag. 1677.
- 36) 4. Amsterd. 1724.
- 37) 4. Scaphul. 1727.
- 38) Observ. med. 8. Amst. 1672.
- 39) Observ. med. rariores, fol. Fref. 1665.
- 40) Observat. phys. medic. 4. Hamb. 1691.
- 41) Observ. med. rariores. 8. Amst. 1677.
- 42) Specimen anatom. practicae. 4. Amst. 1678.
- 43) Apiarium. 4. Basil. 1687.

Non solum Petrus CASTELLVS, teste M. A. SEVERINO 44) et G. WELSCHIO 45), sed praeferit Thom. BARTHOLINV S 46) per XX annos collegerat obseruationes et proprias et ex aliis scriptoribus eas, quae quidem pathologiam ex sectionibus cadauerum illustrare poterant. Incendio vero illo celebri, de quo etiam peculiarem librum 47) scripsit, irreparabilis iactura facta est.

Tum vero Theophil. BONNETVS immensum opus adgressus est, quod in colligendis quibuscunque historiis sectionum, ex quibus erui aliquid possit ad morborum caussam et indolem cognoscendam, versaretur. Edidit primum *prodromum anatomiae practicae* 48), deinde *sepulcretum anatomicum* 49), tunc *medicinam septentrionalem* 50). Vtrunque opus posterius egregiam omnino constituit bibliothecam pathologicam, licet non liber sit vir ab hypothesis et commentis sui saeculi. Praeterea omisit historiam morborum antegressorum, quae egregie illustrare solet sectionis historiam ipsam. Tum multa praeteruidit insignia obseruata virorum, quos tamen citauit; multa retulit ad aliena capita, male

44) De abscess. recond. natur. p. 187. (4. Lugd. 1729.)

45) Syllog. observ. et curat. med. p. 17.

46) De anatomie practica ex cadaueribus morbosis adoranda. 4. Hafn. 1674.

47) De bibliothecae incendio. 8. Hafn. 1670.

48) 8. Genev. 1675.

49) fol. Genev. 1700. Vol. I. II.

50) fol. Genev. 1684.

male saepe transcripsit ex autographo, vt, qualisnam fuerit auctor, plane non agnoscas. Quandoque repetiit eosdem casus, ab auctore ita transformatos, vt noui plane videantur.

Io. CONR. PEYERV<sup>S</sup> et Io. IAC. HARDERV<sup>S</sup> sub nominibus PAEONIS et PYTHAGORAE exercitationes suas anatomicas et medicas 51) ediderunt, in quibus aliqua continentur huc facientia, quae vero plerumque rariores casus attinent. Huc quoque CORN. STALPARTVS VAN DER WYL in Eerste en tweede honderd genees-heel-en snydekondige Anmerkingen 52), vbi circa cor et cerebrum varios legeris pathologicos casus.

Polygraphus ille Stephan. BLANCARDVS, collector potius quam incisor, anatomiam practicam 53) compilauit, in qua ex omnibus scriptoribus aliquid sine iudicio collegit, collecta non ordine composuit, composita non bene diiudicauit. — Io. SALZMANNI quoque varia scripta huc pertinere videntur, praesertim de anatomia iucunda et utili 54), de ossificatione praeternaturali 55) etc. Tum etiam Io. Maurit. HOFFMANNI disquisitio corporis humani anatomico-pathologica 56), quae ex actis academie

51) 8. Basil. 1682.

52) 8. Amst. 1682. 1686.

53) 12. Leid. 1688.

54) 4. Argent. 1709.

55) 4. ib. 1720.

56) 4. Altdorf. 1713.



naturae curiosorum et ex paucis aliis scriptoribus excerpta  
huc facientia continet.

Io. Mar. LANCISIVS 57) et Guil. BALLO-  
NIVS insigniter auxerunt anatomen practicam suis  
inquisitionibus. Ille tractatu quidem immortali *de motu*  
*cordis et aneurysmatibus* 58), libro *de lue bouilla* 59)  
et *subitanis mortibus* 60), quibus sectiones multae  
cadaverum cum episcopi bona continentur. Hic  
praesertim libro *de mulierum et virginum morbis, de*  
*urinarum hypostasi et variis locis operum* 61): quod  
quoque Dan. SENNERTVS in *medicina practica* 62)  
iam fecerat. —

Christ. Gottf. STENTZELII *anthropologiam*  
*ad pathologiam applicatam* 63), quam citat LVDWRI-  
GIVS, inspicere mihi nondum licuit. — Corn.  
TRIOENII vero *observationes medico-chirurgi-  
cae* 64) multos continent casus pathologicos, figuris  
nitidis illustratos. — Proprie hoc pertinent Io. PA-  
LYNII *Anatomic chirurgicale augmentee par le Sieur*  
*PORTAL* 64): Arend Ferdin. LAMBRECHTI ob-  
lecta-

57) fol. Rom. 1728.

58) 4. Rom. 1707.

59) 4. Rom. 1714.

60) Opp. 4. Venet. 1734. Vol. I—IV.

61) Opp. fol. Lugd. 1666. Vol. I—IV.

62) 4. Witteb. 1728.

63) 4. Lugd. Bat. 1743.

64) 8. Paris. 1753.

*lectiones et obseruationes anatomiae* 65), quibus accedunt ALBINI variae annotationes anatomico-pathologicae: Laur. HEISTERI *medicinische, chirurgische und anatomische Wahrnehmungen* 66): Io. Lud. Leber. LOSEKII *obseruationes anatomico-chirurgico-medicae nouae et rariores* 67): Fried. RUVSCHII *obseruationes anatomico-chirurgicae* 68), quibus accedit catalogus Musaei Ruyischiani.

Incrementa autem non mediocria cepit anatoma practica ex egregiis laboribus virorum sequentium:

Petr. SENAC *Traité de la structure du cœur, de son action et de ses maladies.* 4. Paris. 1749. Vol. II.

Alb. AB HALLER *Elementa physiologiae.* 4. Lauf. 1757-1766. Vol. I-VIII. EIVSDEM *Opuscula pathologica.* 8. Lauf. 1768.

EIVSDEM *dissertationes ad morborum bistoriam et curationem collectae.* 4. Lauf. 1757-1760. Vol. I-VII.

Anton. DE HAEN *Ratio medendi.* 8. Vindob. 1760-1775. Vol. I-XVIII. Egregie translata ab Ern,

65) 8. Franeker. 1751.

66) Vol. I. 4. Rostock. 1753. Vol. II. 4. Rost. 1770.

67) 4. Berol. 1754.

68) 4. Amstelod. 1721.





Ern. PLATNERO. Leipzig. 1779-1786. Vol. I-IX.  
Historiae sectionum ad centum septuaginta ea cura  
atque industria institutae, vt ad optimas omnino cen-  
seri mereantur: epicrisis ea, quam a viro prudenti,  
bono obseruatori, et erudito haud vulgari exspe-  
ctaueris.

Ios. BAADER *obseruationes medicae incisionibus*  
*cadaverum anatomicis illustratae.* 8. Friburg. 1763.  
Continent circa pathologiam cerebri et neruorum, vt  
et circa motum humorum alienatum varia, quae  
attentionem summam merentur.

Sam. CLOSSY *Observations on some of the*  
*diseases of human body, taken from the dissections*  
*of morbid bodies.* 8. Lond. 1763. Pauca habet  
notatu digna.

## 26.

Gerard. VAN SWIETEN *Commentaria in*  
*BOERHAAVII aphorismos.* 4. Hildburgh. 1754-  
1773. Vol. I-V. Immortale opus, quod praeci-  
pue circa partium structuram morbosam innumeras  
egregias continet obseruationes.

Io. PRINGLE *observations on the diseases of*  
*the army.* 8. Lond. 1764. historiam sectionum plu-  
rimum et casus rariores pathologicos habet.

Io. HVXHAM *opera physico-medica.* 8. Lips.  
1784. Vol. I. II.

Franc. Boiss. DE SAVVAGES *Nosologia me-*  
*thodica.* 4. Amst. 1768. Vol. I. II.

Rich.

Rich. BROWNE CHESTON *pathological inquiries and observations in surgery from the dissection of morbid bodies.* 4. Gloucester. 1766.

Chr. Gottl. BÜTTNERS *Anatomische Anmerkungen.* 4. Königsb. 1752.

EIVS DEM in vielen Jahren gesammelte anatomische Wahrnehmungen. 4. Königsb. 1769. quae praecipue anatomiam fetus pathologicam complectuntur.

Paul. 's GRAEVWEN *oratio de anatomiae pathologicae utilitate et necessitate.* 4. Groning. 1771. Praeter commendationem huius studii continet quoque non paucas obseruationes anatomico-practicas.

Io. Bapt. MORGAGNI, vir in anatomie versatissimus et eleganter doctus, multum, imo plurimum sine dubio contulit ad perfectiorem reddendam anatomiam pathologicam. Eius epistolae *de sedibus et caussis morborum* 69) eam continent obseruationum tum propriarum, tum ex aliis, iisque optimis scriptoribus, iudicio non mediocri, collectarum copiam, quae insigniter ditauit studium huius scientiae. Praeterquam autem quod sectiones habeat cadaverum morbosorum non paucas, in quibus desideraueris historiam morbi, historiis quoque amplioribus iusto adiecit prolixiora scholia, diffusori et intricatiore stylo indulgens: plus eruditioi quam simplicitati dedit.

Christ.

69) 4. Lugd. Batav. 1767. Vol. I — IV.





Christ. Gottl. LUDWIGIVS in *adversariis medico practicis* 70) innumeratas quoque recensuit obseruationes ex sectionibus cadaverum morbosorum epicrisi bona desumptas.

Iof. LIEVTAUDIVS, *Morgagnii aemulus*, ea addidit ex nuperioribus scriptoribus, quae hic omiserat. Desidero in eius *historia anatomico-medica* 71) et historias morborum et accuratam auctorum, e quibus ipse decerpserat, citationem. Ordo ceterum non contemnendus.

Maxim. STOLLIVS in *ratione medendi* 72) et Ern. Ant. NICOLAI in *pathologia* 73) varias habent obseruationes egregie facientes ad anatomiam pathologicam. Eodem modo utiles sunt libri Franc. HOMII 74), Iof. DE PLENICIZ 75), Christ. Gottfr. ESCHENBACHII 76).

Maxime autem laborauerunt nuperrimis temporibus in hac parte anatomes Ed. SANDIFORT cuius

70) 8. Lips. 1770. Vol. I — III.

71) ed. Schlegel. 8. Lips. 1786 — 1789. Vol. I. II.

72) Vol. I — V. 8. Vien. 1777 — 1789.

73) Vol. I — IX. 8. Halle. 1769 — 1784.

74) Clinical facts and experiments. 8. Lond. 1781.

75) Acta et obseruata medica. 8. Prag. 1783.

76) Vermischte medic. und chirurg. Beinerkungen. 8. Leipz. 1784 — 1786. Samml. I — III.

cuius obseruationes anatomico-pathologicae 77) et exercitationes academicae 78) tanquam classica opera notari merentur: Christ. Fried. LUDWIG, qui in primis lineis anatomiae pathologicae 79) egregiam instituit collectionem earum obseruationum, quas quidem eo ordine digestas haud facile inuenieris. Anton. BALTHASAR, cuius chirurgische Krankheitslehre 80) theoriam complectitur multorum vitiorum organicorum et aliorum structurae errorum: Guil. HUNTER, qui medicinische und chirurgische Beobachtungen und Heilmethoden 81) edidit, insignem copiam obseruationum huc pertinentium continentem; Andr. BONN, cuius tabulae ossium morbosorum 82) laude mea superiores sunt.

Praeterea vero in actis academiarum variarum multae continentur historiae sectionum, quibus dilucidatur pathologia.

## 29.

Si quis itaque compendium anatomiae pathologiae edere, aut collectionem eiusmodi instituere cupuerit, hanc forsan iniret rationem. A viribus ad fluida, ab his ad solidas partes progressurus, deinde functionum corporis historiam pathologican ita illustra-

77) 4. Leid. 1777.

78) 4. Leid. 1783. 1785. Vol. I. II.

79) 8. Lipſ. 1785.

80) übersf. 8. Wien. 1786. B. I. II.

81) übersf. von KÜHN. 8. Leipzig. 1784. 1785. B. I. II.

82) fol. Amſt. 1785.



illustraret, ut ad historiam morbi praegressi vel praesentis semper simul respiceret, et inde formaret theoriam, non hypothesisibus, sed experientiac superstructam.

Vires et animi et corporis, sensilitatem, irritabilitatem, contractilitatem et vim nerueam: dcinde vero fluida, cruentum, lympham, sanguinem, lac, mucus, serum, bilem, vrinam, semen, cerumen, materiam transpirabilem; deinde pus: tum motum humorum alienatum consideraret. Tunc formam totius corporis, ossa, cartilaginiem, musculos, membranas, vasa et sanguifera et lymphatica, neruos et glandulas, telam cellularem et adiposam, integumenta communia, vngues et pilos contemplaretur. Adgredetur viscera, cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam, spinalem; organa masticationis et deglutitionis; ventriculum et intestina, hepar, lienem, pancreas, omentum, renes, vesicam vrinariam cum adiacentibus, tum pulmones et cor: deinde vero functiones animales, vitales, naturales, sexuales: quo facto forsitan melior forma surgeret iis, quae existant, compendiis huius scientiae.

Qui vero ea secum animo voluit, quae supra de difficultatibus eiusmodi operis signauit, non enumerauit; is facile perspiciet, spem adesse non infiganem, fore ut breui tempore id videamus compendium, quod cum omnibus his requisitis congruat.

THESES.

I.

Nulla functionum systematis neruosi explicatio  
mihi sufficit.

II.

Contendo, perfectam neruorum decussationem  
in cerebro falsam esse.

III.

Resorbtionem a venis peragendam non assumo.

IV.

Vitam sanguinis in corpore viuo omnino negare  
non possumus.

V.

Digestio ciborum peragitur sine omni fer-  
mentatione.

VI.

Febris puerarum non propria febrium classis  
esse, mihi videtur.

VII.



VII.

Haudquaquam omnium medicamentorum virtutes, ex partibus eorum constitutivis chemia detectis, explicari possunt.

3 5. 2 3 H T  
VIII.

Institutionem variolarum extra epidemiam nunquam instituendam esse, arbitror.

IX.

In febribus putridis vesicatoria aequa ac alia irritantia, certis sub conditionibus, maxima cum utilitate adhibentur.

XI

Medicina ruralis nec medicamentis nec instrumentis chirurgicis agere debet.

XI.

In omni tumore ut plurimum tentanda resolutio.

XII.

Inter certissima grauiditatis signa in primiparis, orificii vteri figura in rotundam mutata, nullo modo referri potest.





UD 18  
PICA





D E  
PROMOVENDIS  
ANATOMIAE  
PATHOLOGICAE  
ADMINISTRATIONIBVS,

D.

CIR  
GRAI

DA

